

perioris adhibeatur consensus. Effectum producit deinde meliorem, remouentur exceptiones, quae inde enasci possent. Optimam vero vtilitatem praestat, si oppignoratio in modum retrouenditionis ad tempus facta fuerit, vbi peracto temporis spatio praefixo, et solutione non facta, res oppignorata sine contradictione et exceptione in dominium creditoris transit.

## §. XIII.

**B**onorum vniuersitatis non minus tunc quoque ratio habetur, quando hypotheca expressa in illa constituta non fuerit, siquidem vniuersitas debitum contrahens illud restituere tenetur. Si non habeat in arca communi, bona illius debent vendi, et ex pretio inde redacto creditori satisfieri. *a)* Itaque ad alienanda bona vniuersitatis hypotheca expressa non semper opus esse videtur.

## §. XIV.

**D**uplicis esse dicunt DD. alienationem generis, vbi res pro re traditur, aut res pro pretio exhibetur, hoc venditio, illud permutatio audit. Hoc et vniuersitati licere, quis est, qui dubitet? Quum omnis generis contractus celebrare possit; ea omnino rem priuatam pro re communi acquirere potest, attamen et hic attendenda sunt omnia, quae supra iam iam adduximus. Nouus possessor priuatus concessione superioris tutum se reddere debet, si tranquillus iuribus frui cupiat, quia in hac acquisitione eadem est ratio, ac in emtione cum vniuersitate celebrata.

## §. XV.

*a)* MARANT. in *spec. aureo*, Part. 6. d. exec. n. 51.